17.
19

# MINIMUS ET MAXIMUS

SIVE

*EMINENTISS. AC REVERENDISS. CARD.*

# MICHAEL ANG. RICCIUS

ORATIO HABITA
IN APATHISTARUM ACADEMIA
DIE
D. MICHAELIS ARCHANGELI
*DEDICATIONI SACRA*

A MARCO DE RUBEIS
Sac. Florentino S. T. D.
ET
IN ECCLESIA D. PETRI MAJORIS
LITERARUM HUMANIORUM PROFESSORE

AD

## INNOCENTIUM XI.

SUMMUM PONTIFICEM



FLORENTIÆ M.DC.LXXXVI.
Ex Typographia sub Signo STELLÆ.
*Superiorum Permissu.*

Digitized by Google

Digitized by Google



# INNOCENTIO XI.

## PONTIFICI MAXIMO


MARCUS DE RUBEIS FEL.



OCTI piique Viri AUGUSTINI COLTELLINI suasu, Tibi SANCTISSIME PATER, de genu supplex offero funebrem hanc Orationem; quam sua in Apathistarum Academia ejus jussu nuper habui. Quum frequens Auditor & Literatus candido plausu dignam duxerit, quæ omnium oculis subjiceretur; quidni Tuo, BEA-

TISSIME PATER, obtutu dignissimam indè rear? Doloris in solamen Amori superstitis amici nulla potest obvenire facundior jucunditas, quam obeuntis amici vivax Imago quæpiam. In Pictorem non rarò cedit dolens Amor, quò Caput amicum Mortis falce succisum industrio sibi Penicillo restituat. Meo quidem gratularer Calamo, si MICHAELEM ANGELUM RICCIUM (cujus docta Probitas imperio Tuo in Purpuram erubuit) Tuis avulsum oculis & Urbi, mihi ejus Oratori parentali utcunque contigerit exprimere. Sed exprimet, opinor; si, Pontificiæ Majestatis supercilio posito, Tuis, (BEATISSIME PATER) oculis arriserit. Neque diffido fore, ut SANCTISSIMO PATRI non id arrideat, quod RICCII de se demissè sentientis opinio cæteroquì commendet. Non eadem ANGELO MICHAELI mens, quæ MACEDONI. In humili superbiet Oratore Purpuratus hic Vaticani Princeps, non secus ac in Apelle suo Magnus ille Præliorum Heros. Plebejo in colore vilem fieri Majestatem Regiam putabat Alexander: Econtrà gloriam suam illustrari magis ac magis meo RICCIUS adumbratus atramento fortè non dubitat. Proindè si vulgaris hujus Imaginis è visu perbenigno solaminis nonnihil hauserit mærens animus; erit sanè, cur eam vocer in spem futurum, ut Tu BEATISSIME PATER, potentissimus Orationi Vindex adsis, & Oratori. Vale.

ORATIO



# ORATIO



A est, Auditores Sapientissimi, humanæ vitæ brevitas, ut monstro jam simillima res haberi cæperit, si mortalium quispiam, unius ætate seculi feliciter exactâ, sepulcro demum fiat obnoxius. Rarus quidem est, & præter opinionem rarus; nec propterea fortunatus ut Phœnix, quicunq; vel uni seculo superior, omni spe juventutis recuperandæ penitùs amotâ, è tempore mox in æternitatem præceps delabitur. Canora dixerim & abundè vana Poetarum mendacia, non mendacii reus, & sanæ mentis compos affirmem ebria Græcorum somnia; Colchicarum scilicet herbarum succis depulsum Jasoni senium, & primævo juventæ flori restitutos esse non paucos. Si quæ citrà fabulas id genus in longum prorogatæ vitæ prodigia stuporem hominum promereantur, non ea sanè præstat Magica Medeæ decipientis Ars, aut ementiti fontium nescio quorum remoti latices, sed medentium ingeniorum monstrosa vis Medicina. Verùm & hæc nobilissima servandi corporis Facultas, etsi facinus immortale ac planè divinum tentare sit ausa, ut homo Phœnicis in morem, redditâ subindè juventute revirescerct; Pharmacum tamen adhuc non elaborat, quo vitæ nostræ fugam expeditissimam ità morari valeat, ut vel annosæ quercus, vel quarundam animantium ævum hu-

mano longè diuturnius, nedum excedat, exequet. Morimur igitur, & feriùs ocyùs, tandem aliquando morimur. Proindè nihil eft caufæ, cur ob vitam cæteroquì breviflimam quis providæ rerum omnium Parenti Naturæ immeritò fuccenfeat. Etenim quem mihi dederis (modò fub ipfum vitæ limen fepulcralem non cefpitarit in lapidem) cui non fit, ut lubet, integrum, vel poft Cineres eam vivere vitam, quæ duris Fati legibus non teneatur? Duplex cuique patet ad immortalitatem via: Corporis nimirùm caduca proles, & Mentis quæ multò firmior. In Filio quippè Parens, & eruditis in Elucubrationibus ævo feliciore fuperftes Auctor. Quo circà non eft, Auditores, quod mirer, fi promerendæ Pofteritatis viam hanc apprimè nobilem felix iniverit ingens illud Togæ Decus, ac maximus indè Romani fplendor Oftri, Michael Angelus Riccius vitæ Sanctimoniâ, ac Ingenii præftantiâ ex æquo prædicandus. Siquidem fœcundiflimum Mufarum Conjugium, ut eft fine controverfia pudicius, præ corporeo potius habere duxit Heros hic omnium fuffragiis integer vitæ fcelerifque purus, & Angelus candore morum perindè ac nomine. Lamentari igitur Urbs facra define, Tibi præreptum, & Orbi Michaelem Angelum Riccium. Vivit enim, vivetque profperrimà fuorum gloriâ voluminum, femel iterum ac fæpiùs non unis prædicata Typis. Voluminum, inquam; quoniam etfi veriùs opufcula nominaverim, nihilotamen feciùs, quanquàm exigua, nihil habent proindè, quo cedant inani prægrandium moli voluminum. Amænioris ingenii feveriorifque fœtus fuos; difertifsimas fcilicet, & doctiflimas de Re Erudita Phificaq; Differtationes: Geometrica Exercitamenta, & Theologica fibi quivis ob oculos ponat; & nihil addubitem, quin fub idem tempus rediviva Michaelis Angeli Riccii non obverfetur Imago. Verum enim verò, quemadmodum non unos inter unius parentis filios ufuvenire confuevit, ut alius aliò contingat effe Patri fimilior, quod nam è tot Angeli Michaelis elaboratis operibus æquè Patrem repræfentat, ac Geometrica illa, quam de *Maximis* & *Minimis* unus idemque *Minimus* & *Maximus* infcribit, *Exercitatio*, recufa fæpius, & à Cardinale Brancatio veluti Gemma fuis

151



suis aureis in Scriptionibus insita ? Hoc in Opusculo siquidem Michaelis Angeli Riccii Imago vivax elucet, meæ quoque perbrevis Orationis Argumentum habetis, Auditores, & hoc, nisi falsus animi sim, unicè proprium. Nempè *Michael Angelus Riccius unus idemque Minimus, & Maximus*. Quod Propositum pro mea virili sicut conabor ut Orator ostendere, ità si vestrarum aurium expectationi satis non fecerim, nequè mihi tanto digna viro contigerit Oratio; gloriæ tamen nonnihil vel inglorius, & laudem aliquam vel illaudatus, non dubium, quin Angelo Michaeli feram; quoniam summo sibi ducendum honori reor; quod Heroum ipse Maximus quia Minimus, in hujusmodi doctissimorum Capitum Panegyri minimum sortitus sit Parentalem Oratorem.

Possim & ego, Auditores, vel meæ sub ipsum Orationis auspicium Geometriam humanas inter scientias facilè principem, fusioribus quàm obiter, & iis elucubratis laudibus evehere; quò ex tantæ disciplinæ præstantia, & mei dignitas Argumenti magis emineret, & in Michaelem Angelum Riccium cultorem ejus apprimè studiosum laus emanaret uberior. Verùm in re, quam nulla non ingenia deprædicant, pluribus quàm res in præsens exigat, immorari, supervacaneum arbitror; & duplex illud emolumentum, quod è fusiore præconio nobis obvenire poterat, ex unius de *Maximis* & *Minimis* Opusculo satis abundè consequi non desperem. Hoc Tractatu præ cæteris Geometria quodamodo superbit, ut qui negotium operosius vel acutioribus ingeniis undequaque facessat. Hinc majorem ob difficultatem, quidni veniam in spem futurum, ut & Scientiæ, & ejus Possessori commendatio copiosior emergat ?

Arduum quidem negotiq; plenum opus, & ingenio meo satis impar conari fortè cuique videar, si tanquam Orator id pro viribus ausim eluctari, quod ex Facultatis Geometricæ peritis planè nulli contigit adhùc, quod sciam, feliciter evincere. unum scilicet & idem Problema *Minimi* capax esse *Maximique*. Alterum enim in uno eodemque Problemate plerunquè non alterum patitur. Verùm enim verò quam minimo negotio meum ipse Propositum demonstrando sim;

facilè

facilè quivis intelliget, si non ex Euclidis, aut Archimedis alicuius Axiomatis, sed è Divini Voluminis Oraculis firmissima rationum momenta mutuer. Hæc hæc inquam, Orationi meæ fidem adstruent indubiam; quippè evidenti certissimàq; dubio procul certiorem. Alia sunt ab humanis Divina Principia.

Et quoniam Heroi nostro Riccio nomen Angelus Michael; illud ipsum Evangelium, quo Diem Archangelo Michaeli Sacram sapientissima celebrat Ecclesia, unicum idemque præcipuum mihi sit in Orátionis argumentum. Ex ineluctabili Corporatæ Sapientiæ testimonio si Maximus habetur is, qui Minimus: *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est Major*; An non Minimus & Maximus unus & idem Michael Angelus Riccius?

Quod si Propositionis hujusce veritas ob aliquam dubii nubem non omnibus æquè pateat; en ipse cuique faciam satis, si Michaelis Angeli Riccii Vitam Evangelico huic Effato consonam planè suis ipsius rebus præclarè gestis ostendam. Et quidem sapientiâ, quam si parvulos Evangelicos exceperis, non hominum ulli Deus elargitur, adeò supra cæteros ætatis suæ viros sapientissimus Michael Angelus eminuit, ut nostra suum ætas veluti Solomonem aliquem super re quavis consulere non dubitaverit. Et ne arrogantiùs hæc à me dicta videantur quàm veriùs; an non urbium Dea Gentiumq; Roma, quanquàm ob rerum admirandarum frequentiam nihil ultrà contingat jam, quod admiretur; sua duxit admiratione dignum, quod pias itidem ac doctas in Riccii Ædes non tàm Parnassus ob lectissimam Bibliothecam, quàm Delphi fabuloso celebres Apolline citra fabulam commigrarint. Sancta Riccii sapiensque Comitas nullis suæ domus aditum præcludebat, quo liberum cuiq; foret sibi reditum eruditiorem habere aut meliorem; quoniam ex hoc Pietatis Sapientiæque Præside totus ipse Litteratorum Orbis, & Piorum hominum frequens conventus responsa quæsitis omnibus accomoda suos quisq; fortunatos in profectus exigebat. An non Michaelem Angelum ceu monstrum aliquod Eruditionis & Probitatis præ cæteris Romæ monstris suspiciebat admirabundus

bundus

bundus peregrinus ad urbem Orbis? Nemo unus, qui sanguinis aut virtutis nobilitate florens ROMÆ Miraculorum Patriæ visendus hospes intererat, priùs urbe discessionem parabat, quin tantum hospitem sæpiùs inviseret: eo dixerim consilio, semel vidisse non satis esse, ut vultus & eloquium Michaelis Angeli duplex index minimè duplex fidelibus oculis testaretur, quæ remotis auribus Fama minimè mendax prædicaverat.

Hinc, ut parem sileam Græcanicæ, ac Latinæ Literaturæ Linguæq; peritiam, admirabilis Riccii Doctrina, & exquisitissima optimarum Artium cognitio in causa fuere, si Romæ non defuerint, qui Riccium longè pulcherrimo nobilitarunt elogio; quum seriò citra fucum assererent, ac passim dictitarent, id ævo nostro florere ingenium, quod esset difficultate quacunque majus; adeò ut Alexandro Magno longè gloriosior Riccius Maximus non Ensis ausu fortuito, sed Calami Linguæque prudenti conatu culilibet difficultatum nodo fuerit solvendo. Nullam enim Disciplinarum objicias, quam ille non ad unguem perdidicerit, & ità perdidicerit, ut in unaquaque sola laborasse videretur. Memoriæ adeò satis habebat, ut maxima majorem vel ex hoc non immeritò conjicias, quod ejus lingua, si venisset usus, memoriter pronunciare potuerit, quicquid Angelicus D. Thomæ Calamus exaravit. Hinc eruditis doctisq; Libris non ætati modò suæ, sed posteris quoq; seculis abundè prospexit: Hinc Capitum doctissimorum extemporaneis in colloquiis nihil ad ea, quæ proponebantur, hærebat: Hinc negotiorum nullum excogites, quod ipse prudens susceperit, & optatum ad exitum non alacer ipse perduxerit.

Et ne quid interim de sacri prophaniq; ordinis viris, qui nihil inconsulto Riccio peragebant, commemorem; an non plerisq; Pontificum, Vaticanis scilicet Oraculis, Oraculum? Sapientissimam hanc mentem in consilium adhibuere non semel vel summa Christianæ Reipublicæ Capita, urbanus VIII. Alexander VII. Clemens IX. Innocentius XI. ex quorum liberali manu plures Heroi nostro gradus honorum obtigerunt. Quin potius si quid momenti non levis à sacris illis Principibus statuendum quandoq; foret, ex opinionis ejus tutissimo suffragio

pendebat. Et quanquàm consilium dare iis, qui in excelso vitam agunt, prorsus sit periculosæ plenum opus aleæ; nihilo tamen minùs neq; calamum ejus Virorum Principum terror, neque linguam Aulicorum assentatio prohibebat, quo minùs id quod ingenuè sentiret, liberè pronunciaret. Vir erat hic antiquæ simplicitatis, & Christiana generositate dignus, veritatis propugnator acerrimus; adeò ut commendabili aversaretur odio, si quos adamare noverit eam oris hypocrisin, qua nefariorum hominum infame vulgus innocentiæ molitur insidias, quum præseferant gratiosum & amabilem vultum, ac specie juvandi per cuniculos innocentes evertunt.

Jam verò, quid hìc admirer, Auditores, Doctrinà, morumq; sanctimonià Maximum ex æquo Riccium? Si Michael Angelus iis propior Cœlitibus, qui ut in Evangelio CHRISTVS est Auctor, *semper vident faciem Patris*; Divinam mentem ità perdius ac pernox contemplabatur, ut ex illa veritatis æternæ Magistra quantocyùs addisceret, quod suos edoceret Auditores iisque daret ad Pietatis & Literarum profectus non mediocres consilia se digna.

Spectatissima in Riccio docta Probitas adeò mortalium plurimos in admirationem, amorem & imitationem sui pertraxit, ut præ illo Sapientissimum, & æquè Pium Romanorum Regem Numam ridere subeat, cui non Divina Mens ut Riccio, sed ementita nescio quæ Diva, Egeriam Fabulæ somniant, summum Populi principis obsequium conciliavit. Scalæ Jacob, in Deum erectæ Mentis Orationem Sancti Patres meditantur adsimilem. Hanc ascendere assiduà divinarum rerum contemplatione: ex hac descendere Christianæ Religionis quà privatos, quà publicos in usus Angelo nostro perfamiliare. Eum se publicè privatìmque probabat; ut nullo tempore honestissimis suorum studiis alumnorum, & præclaris eorundem ausibus labor suus & industria deesset; ut qui conatus suos omnes, omnia vitæ suæ studia semper hùc destinarit, non ut suis privatis commodis consuleret, sed ut Christianæ Rei quam plurimùm prodesset. Scientiam non aucupabatur ad solam animi oblectationem, ut sibi caneret ac suis Musis; non vanam ad ostentationem, ut scire tantùm vide-

videretur, sed ut in commune proferret, ac publicis usibus impertiret. Ingenti sanè cum fructu dixerim, quanta verò cum laude non dixerim, quam ipse adeò non spectabat, ut nec admitteret.

Emicantem Sanctimoniæ suæ lucem ità Salibus argutis modestisque jocis temperabat, ut nobilium aliquot virorum, qui diù multùmq; eo familiariter usi fuerant, post ejus Obitum oculos improviso stupore perstrinxerit, & animus eorum insueto fuerit dolore correptus, quod nihil cætera curiosi, æquàm de Riccio Probitatis opinionem, ut res erat, efformando non fuerint. Ambitiosæ lucis osor, pacto quovis efficiebat, ut alienus à cura colligendæ existimationis, & fluxæ promerendæ Posteritatis ad eas virtutes duntaxàt foret impiger, quibus inocciduæ fœnèraretur Æternitati.

In egenos opis humanæ profusè misericors plurimorum civium ditabat inopiam manu laudabiliter prodigà: ut inopes locupletaret seipsum spoliasset, nudasset seipsum ut illos ornaret. Fæminarum candorem fœdis injuriis obnoxium Nicolai Myrensis Sanctissimi Pastoris æmulator Auro clàm submisso quotiès tutatus est? Quotiès non unius artificis otiosam artem commodatà citra compensationem pecunià promovit? Oblatis ultrò opibus patritiam obvelabat nuditatem, & omnium oribus silentium indicebat, ne suæ subsidiariæ misericordiæ fieret quandoque præco. Abstinebat & ipse mirè prudens supervacaneis à verbis, & in hoc potissima cautio, ne quid è suorum custodia labiorum excideret, quod castissimis auribus judicàrit nonnihil absonum modestia severior; eos quippè in hac morum integritate progressus habuit Riccius, ut Angeli Michaelis Appellationem nunquàm exprobrasset Archangelus Michael, quemadmodum inertissimo suorum Militum Magnus Alexander. Et suum hoc cum Cœlitum Principe Michaele commune nomen jam à puero futuræ fuerat omen probitatis. Innocentià nihil habuit antiquius, quippè quæ cum ipso nata & adulta æqualem summæ senectuti produxit ætatem.

Dignissimam hic scitu rem non abs re reor alienum inserere; quod Jobo, qui suis cum oculis fœdus pepigit, ne cogitarent

 qui-

quidem de Virgine, Riccius longè purior: & Africano Scipione longè sanctior, qui teste Lucio Floro, & singularis, Sanctitatis ejus, ut ipse ait, encomiaste, captivos pueros puellasque præcipuæ pulcritudinis, Barbaris restituit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de Virginitatis integritate saltem oculis delibasse videretur; quoniam Riccius perpeuò coelebs, undè Jobo præstat: & non obitèr, ut ille Chartaginis Eversor, sed nunquàm suis oculis ultrò permiserit fæminei vultus obtutum. At hic ego cùm Floro veriùs non exclamem, ò singularem Michaelis Angeli Riccii Sanctitatem! Innocentiam cum lacte Riccium, aut pro lacte suxisse! Adeò sese rotus ejus candor corpori animoque infudit. Vidisses in ipso modestiam inaffectatam, quæ membrorum præses motus suos omnes moderabatur & mores. Ad hæc quam parcus in victu? Seuera in hoc frugalitas, ac propè dixerim cibi abstinentia corpus in animum extenuabat. Solabatur non famem explebat cibi parcissimus. Quam modicus in cultu? Cubiculum ipsum Sacris Imaginibus frequens, ipsumq; lectum, ut imaginem quandam priscæ frugalitatis aspexeris. Liquidissimi verò sensus Pietas Cælestem in Dapem quam sextâ quoq; Feriâ, festisq; diebus omnibus obibat, divino cordis calore tabescens oculorum suavi stillicidio ubertìm rorabat. Deniq; suus hic unicus erat scopus; ut suâ cuiq; industriâ aliquam adferret utilitatem; Id si minùs assequi poterat, certè ne quam adferret noxam. Quin etiam si forte fortunâ contumeliis invidiæ provocaretur, non mediocriter cauebat, ne suorum hostium famæ vel levissimam labem aspergeret. Cum iis ne verbo quidem expostulabat. Non ignorabat Sapientissimus Heros, quemadmodum Christianum non est injuriam injuriâ pensare, ità parum generosi pectoris esse suos inimicos fæminarum exemplo conviciis ulcisci. Tantùm igitur aberat, ut quicquàm offenderetur, si quis in Eum hostis insurgeret, ut alienas injurias quà verbis humanissimis, quà beneficiis, hoc est Charitatis armis ulcisceretur.

Sed puerum Evangelicum, Minimum scilicet planiùs evincit, humiliter demissèque de se sentientis opinio. Erat ingenio pænè cælesti, eruditione singulari, judicio longè acerrimo,

& tamen

& tamen si publica utilitas aliquot ingenii monumenta ex ejus religiosa Modestia poterat extorquere, non priùs edebat in vulgus, quin illa vel inferioris notæ censoribus ingeniis excutienda committeret. Præclara sunt, & supra omnem commendationis aleam assurgunt ea, quæ cum usu publico communicavit : Nec minora censeri debent, quæ intra Vestæ penetralia liberali custodia asservavit, ut erat fugitans ambitionis, & sui ipse contemptor. Et quisquam dubitabit, Maximum extitisse Michaelem Angelum Riccium; quum ex Evangelii præscripto sese Minimum fecerit, eiq; Puero, qui *Magnus coram Domino* propiorem Innocentia formarit. Nequè mirum cuiquam videri debet; quoniam altissimæ Demissionis jacto fundamento, reliquarum structura Virtutum in in eam celsitatem excrevit, quam suspicere quidem silentio possim, narratione autem metiri nequeam. Non enim is ego sum, qui audeam, universa quæ Sapienter dixit, eruditè scripsit, ac piè gessit æquare narrando. Verùm etsi tanto par Heroi fusiusque præconium extet immortale apud ævi nostri Scriptores eximios Thomam Cornelium Gassendum, Renatum Franciscum Slusium, Ricchardum Blancum, Sfortiam Cardinalem Pallavicinum, Raphaelem Fabbrettum, Orbis Litterarii multiplex Astrum & princeps : apud Vincentium Viviani Mathematicæ Rei Decus, Carolum Dati Humanioris Litteraturæ Lumen, Rodulphum Christianum Bodenausen, qui Musarum Severiorum Amor est, & Amæniorum, Augustinum Coltellini, quem sibi Riccius ( ut mutuis in epistolis calamus perfamiliaris est testis, & ipsius Purpurati vivi clientes fidem faciunt ) ob morum candorem ingeniiq; præstantiam suis in operibus expressam, in paucis amicum voluit; & alios, quos brevitatis promissæ fides non patitur ut in præsentia recenseam; unum tamen imprudenti silentio non premam, nequè tacitus id præterirem, undè validissimum Oratio mea desumit argumentum; honoris scilicet appetentiam plerisque indomabilem quibus armis infregerit omittendum non est.

INNOCENTIVS XI. qui Vicarias in præsens Divinitatis Vices gerit in terris, cujus admirabili pertractandis in

rebus

rebus industriæ Christiana Respublica debet adversus Turcas Christiani Nominis hostes infestissimos jam jam Triumphatores, Victoriam omnium ætatum memoria dignissimam: INNOCENTIUS, cujus animi Magnitudo nihil ad ostentationem, omnia refert ad conscientiam, rectèque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit: INNOCENTIUS, in quem illud ex Oratore Plinio tempestivè cadit, Pontifex Is est, qui dignus fit eligere: Ministri, quos ex optimis legit, ii, qui digni sint, ut eligantur. Magnus Hic terq; Maximus, Divinæ Voluntatis interpres; omnisq; judex Sanctitatis non dubiis argumentis Riccii Doctrinam eximiam paremque Probitatem diù perspectam habens, Purpuram Virtutis eminens Præmium dum ultrò Riccio defert Maximum nobis Riccium exhibet, & Minimum econtrà uno eodemq; momento similis attonito demiratur Orbis; quum Michaelem Angelum intueatur oblatis Purpuræ Insignibus reluctantem.. Neq; Purpuratorum Patrum Senatui Probitatis hoc ingens & Doctrinæ Lumen accessisset, nisi Riccium ad id Honoris suprèma Pontificis adegisset Auctoritas;

Pontificio jam jussu Riccius Ostro donatus Ecclesiæ præfulget; At ò fluxa terræ gaudia! Magnitudinis hoc primæ Sidus in Ecclesiastico Cœlo ROMÆ tandem oboritur, & opinione celeriùs extinguitur! Plaudit Orbis huic non emendicato Lumini, & in Ortu sero festinum dolet Occasum! Verùm tantus Hic Vir, si lucis adeò brevis ipse sim interpres, à sui demissione in Cœlum erectus, affluentes hominum plausus præfestinatâ mortalis vitæ fugâ declinare præoptavit exoravitq; à Deo. Et quæ Michaelem Angelum Riccium, ad Purpuram, eadem ad Cœlum virtus evhexit. Par equidem fuerat, ut terrenus Angelus ad Cœlites sui consimiles abiret, & cœlestem demissione sedem superbia Luciferi vacuam occuparet. Atque ipsa Romualdi Sacra Familia Moribus quàm Habitu candidior (cujus instituto sanctissimo Terra Cœlo tot alit Angelos, quot numeroso tutissimóq; sinu triumphatores Mundi transfugas excipit) breve quidem at efficax in Terris experta Riccii Purpurati Patris Patrocinium apud INNOCENTIUM Pontificem Maximum, apud

Maximis

Maximis Majorem in Cœlis CHRISTUM JESUM efficacius speràt, & æternum, Redivivum in potentissimo Protectore Conditorem suum Romualdum Admirationis, & Imitationis obsequio Sacer hic Ordo deveneratus est.

Gratulabimur igitur ejus Beatitati: Occasum ejus ignavo luctu non prosequemur. Reliquum est, ut qui Christianum Orbem in admirationem traxit, trahat in imitationem. Tot præclara sui Pignora nobis reliquit, quorum decus nulla Posteritas silebit, nulla unquam obliterabit oblivio. In iis contemplari licet ingentis Viri effigiem longè meliùs expressam, quam penicillis Apellis, aut cælo Lysippi. Hæc nobis ad æmulationem honorum faces adjicent.

Tanti est, Auditores Sapientissimi, Michaelem Angelum Riccium eam animi modesti Virtutem excoluisse; cujus beneficio tum maximè Dignitatum culmen assequebatur, quum ima vestigaret. Neque est, cur faciendæ pleniùs super hac re fidei, prisca Poetarum superstitio fabuletur, ac prædicet jactabunda suum ex attactu terræ Antæum reviviscere sublimiorem. Rem ego fecerim eruditioni vestræ supervacaneam, si victricis præmia dexteræ Palmas memorem, quæ victoriis natæ ponderibus obnituntur, assurguntq; degravatæ triumphalem in libertatem. Amænissimum quoque non exequar ingeniosis in fontibus aquæ salientis ingenium, quæ descensu metitur altitudinem suam. Hæc & horum similia præterire fas est; quando Codicis Evangelici gravior Auctoritas, quemadmodum meæ fuit Orationi perillustre Caput, eidem eadem esse debet & Coronis. *Qui humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est Major: Qui fecerit, & docuerit, hic Magnus vocabitur in Regno Cælorum.* An non illi Minimi Maximique vocamen accomodum; quum Michael Angelus Riccius, ad omnem Christianæ perfectionis amussim vitam exegerit è & Parvulum Evangelicum nulla non ætate servaverit: & ea, quæ præscribunt Evangelii leges, ut exequabatur, edocuerit.

Quis igitur pernegaverit, quod Michael Angelus Riccius fuerit unus idemq; *Minimus* & *Maximus*; Demissione Minimus, Meritis Maximus; quod, ut cum GEOMETRIS, quorum ipse tam amans fuit, finem faciam, demonstrandum susceperam.

# DEO LAUS.

Adm. R. D. Hyppolitus de Tonellis accuratè perlegat, & recognoscat an ista in Oratione adsit aliquod adversum S. Fidei, & bonis moribus, & referat. Dat. 20. Februarii 1685. ab Inc.

*Nicolaus de Castellanis Vicarius Generalis Florentinus.*

*Illustrissime ac Reverendissime Domine*

In hac funebri Oratione, in qua Rhetoricis coloribus Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Riccii Imago rediviva exprimitur, nec Fidei puritas, nec morum probitas obumbratur: ideòque publicam meretur lucem, utpotè quæ legentibus exhibere potest & incitamentum ad Virtutem, & calcar ad Gloriam. In quorum fidem

*Ego Hyppolitus de Tonellis S. T. D.*

Attentâ suprascriptâ relatione imprimatur 23. Febr. 1685. ab Inc.

*Nicolaus de Castellanis Vic. Gen. Flor.*

Placeat Illustrissimo Domino Augustino Coltellini Advocato Consultori Jubilato S. Officii Florentiæ examinare præsentem Orationem & in scriptis referre &c. Datum hac die 26. Februarii 1685.

*Fr. Franciscus Antonius Frati Vicecancellarius S. Officii Florentiæ Ordinis Min. Conu.*



*Reverendissime Pater Domine*

Dum Mors triumphat in Purpura Sacri Collegii, disertus Orator triumphat in Cathedra universitatis plaudentibus cunctis; sed ne doleamus quæso eorum Fata, quos per Gloriam vivere intelligimus, & ad nostrum solamen utrique avulso non defecit alter; Leopoldo Ser. Franciscus Maria Princeps Aureus, & simili frondescet virga Metallo; & Michaeli Angelo Jacobus Frater tantarum virtutum cumulatissimus hæres, ut Ostro insigniri dignissimus judicetur à Sanctissimo Patre Familias in locum demortui substituetur, donec tandem Stola gloriæ supervestitus germano jungatur in Cælo. Annuat votis Deus, & interim Oratio prodeat in lucem, ut cum MEDICEA Litteratorum Orbem perlustret.

*Augustinus Coltellini Advocatus, S. Officii Consultor, & Librorum Censor emeritus mea manu &c.*

Attentâ suprascriptâ relatione imprimatur. Die 30. Martii 1686.
*Fr. Franciscus Antonius Frati Vicecancellarius S. Officii Flor.*

*Robertus Pandolfinius Sen. Serenifs. Mag. Duc. Aud.*